




Ant. Graec.

270





~~Antiquitt. 525.~~⁶

~~470. Ant.~~

~~Ant. Graue. 579.~~

Ant. Graec. 579.

INSTITUT FÜR
HISTORISCHE
KOMPARATIVE
LITERATURWISSENSCHAFT

AN DER
UNIVERSITÄT
DRESDEN

IO· GVILIELMI BERGERI
COMMENTATIO
HISTORICO CRITICA

DE
LAVTIIS
VETERVM



VITEMBERGAE

MDCCXI

PRELO CREVSIGIANO

IO. GUILIELM. BERGERI
COMMENTATIO
HISTORICO CRITICA

DE
L. A. V. T. I. S.
VETTERAM

FRANCO GRESIGNANO
MDCCCLXXI
L. A. V. T. I. S.

DE
LAUTIIS
VETERVM

I

S ulla unquam gens animi ferociam, atque humanitatem, res natura sua dissimiles, omninoque contrarias, moderatione ingenii miscuit, eas certe populus Romanus sic temperavit, ut, quanta vi audaciaque foris hostibus instaret, tanta comitate domi, in colendo mansuetudinis officio, uteretur. Cum autem multa sunt moris humani, quo fuit imbuta consuetudo Quiritium, exempla literis tradita, et celebrata, tum plurimum dignitatis habuit institutum, iis, qui aliunde uenerant publice, comiter, atque hospitaliter, cuncta praestandi. Quod quidem beneficentiae genus manat latius, nos tamen huc in primis inuitat, ut ex cetero hospitalis honoris cumulo seligamus ea, quae, solemni Quiritium uoce, Lautia uocantur

A 2

II Lau-

Lautia, Graeco scripturae exemplo, Λαύ-
 τεια, apud Plutarchum, in αἰτίοις. secus hic ef-
 ferunt erudite pronunciationis interpretes,
 Philippus Labbeus, et Io. Baptista Ricciolus.
 uterque, sine pronuncianti mora. Gl. *Lau-*
cia. singulare non habet. ita quidam ue-
 teres libri. codd. aliqui *Lautitia.* mendose, ut
 scienter obseruat Philippus Beroaldus. aliqui li-
 bri. *Lautiae.* pari corruptela. in hos codd. inci-
 disse uidetur Gu. Budaeus, cum Lautia, sequiori
 genere, et numero singulari, extulit, Annot.
 priorib. in Pandectas. ubi explicat, quid
Lautiae, ut loquitur, *appellatione* contineatur.
 at idem in Commentariis Ling. Gr. rectius di-
 xit *Lautia.* quare, in Thesauro Ling. Lat. ne-
 gligentius prouocatur ad Budaeum. *Lautia*
etiam feminine. nam codd. obstant castigatio-
 res. Lautia Sexto Pompeio Festo sunt, quae ue-
 teribus *Dautia.* perinde ac *dacrymas*, pro *lacry-*
mas, saepe dixit Liuius. ex prisca consuetudine
 aevi, quae, usitata literarum commutatione,
 Graeci moris exemplum imitatur. quare Iosepho
 Scaligero, et Gerardo Ioanni Vossio, Lautia
 sunt Graecorum δάτεια. neque aliter Claudio
 Salma-

Salmasio, cui *δῶτιον* est *Lotium* et *Lautium*. in exercitationibus Plinianis, pag. CIO XII. uti solent, qui ludibundi agunt multa, huc animum minus, ac par erat, attendit Laelius Bisciola, et, neglecta hac animaduersione, *Daucia* a Festo, magno librariorum errore, dici, credidit, Horarum Subcesiuarum Vol. II, lib. VII, cap. IX. *Lautium* tamen non dici, sed *Lautia* supra obseruamus. Aliis originum explanatoribus, Marcello etiam Donato, *Lautia* a *lautum*, quod iis lautitia epuli instruatur. Festo quidem sunt *Lautia*, quae dantur legatis, hospitii gratia. itaque Plutarchus uocat *ξένια*, hoc est, munuscula, quae legatis mittantur. uerum uterque loquuntur infinite, quando non haec sola dabantur legatis, sed alia quoque. pecunias dico, aurea, atque argentea, uasa. *Lautia* uero aliud uolebant, uti postea dicetur. at *lautitia*, quemadmodum scribi oportet, designabatur epularum magnificentia, atque illa a *lauatione* dicta putabatur, quia, ut ait Festus, *apud antiquos hae elegantiae, quae nunc sunt, non erant, et raro aliquis lauabat.* etiam copiosi, et lauti, homines, in balneis, ante epulas, lauari solebant. iccirco uerbi notio, magis definita, in lauandi,

quam dandi, consuetudine potius quaerenda uidebatur. constat tamen, non raro latius origine uerbum patere, quod angustius usu sumatur. quocirca nihil defugimus auctoritatem ueterum, qui, ut ait Festus, *dautia* dixerunt. quod etsi postea uertit in *Lautia*, tamen notionem *dandi legatis, hospitii gratia*, ut idem loquitur, retinuit, sed arctioribus, ut deinceps exponetur, finibus circumscriptam. Non ingrata uel excogitandi studio, uel opinionis nouitate, nec tamen necessaria, uidetur interpretatio Henrici Doduelli, claro alioquin ingenio uiri, cum coniicit, *Dautia quasi data, Lautia quasi lata*, ex posterioris aevi consuetudine, dici. liquet enim, Festum, quem exponit ille, *Lautia*, ex usu ceterioris aetatis, non a commutata diuersorum uerborum origine, sed a mutato unius uerbi elemento, duxisse

III

Tam late, ut putant quidam, patent *Lautia*, ut iis uulgo comprehendatur omnis epularum lautior apparatus. at enim, ut de re ipsa nondum statuamus, in altero Festi loco, quo respiciunt, emendatius legi oportet *lautitia*,
non

non *lautia*, uti monuit Iof Scaliger non inique.
 Huic quidem paria faciunt *lautia loca*, et *legato-*
rium, auctore, ut est aliquibus uisum, Seruio
 Danielis. at in corrupto ueteris interpretis lo-
 co non nihil haesitauit literatorum princeps.
 legendum enim. *alii, lautia, loca legatorum,*
quae in ea regione instructa accipere consueverant.
 nullum hic *legatorium*. at *legatiuum* dixit, in
 aliis, Vlpianus, in leg. II, II. de legationib. est
 autem *uiaticum*, iis publice dari solitum, a qui-
 bus erat *legatio* suscepta. eadem interpunctio-
 ne distinguuntur *lautia, loca*. nec legitur *lau-*
ta. atque ita semper, quod meminerim, Pa-
 tauinus noster. idem tamen disiungit *Lautia*, et
loca. in lib. XXVIII, cap. XXXIX. *locus inde,*
lautiaque legatis praebere iussa. in libro XXX,
 cap. XVII. *libera loca, lautia, legatis decreta.*
 in libro XXXIII, c. XXIV. *ibique iis locus, et*
lautia praebita. in lib. XXXV, cap. XXIII. *lo-*
cus, lautia decreta. in lib. XLII, cap. XXVI. *ut,*
ex instituto, loca, lautia acciperent. in lib. XLV,
 cap. XX. *an locum, lautia, senatumque darent.*
 Apuleius autem *loca lautia* dixit, in lib. III, Me-
 tamorph. si perinde, ac fieri oportet, emen-
 dat Ianus Guilielmus, Verisimilium lib. III,
 cap.

cap. IV. prius legebatur. *loca lauta*. at parum iuuat Guilielmium auctoritas Liuii. namque hic, ut diximus, in codicibus integrioribus diuise, *an locum, lautia, senatumque darent*. non *loca lautia* coniunctim, ut legit ille. *lautiam*, edit. Basileensis. mendose. quare nihil huiusmodi libri correctiores. Aldina Apuleii. *ac loca lauta*. non aliter erat in cod. Bert. et Florent. sed melius, exemplisque ueterum conuenientius, Geuerhartus Elmenhorstius. *loca, ac lautia*. emendate, inquam, et probe. nam, ut in re ridicula, *loca* post explicantur per *praesepium*, et *angulum stabuli*, *lautia* uero per *cibaria*. non aliter, in lib. IX, idem. *loca, ac lautia* prolixè praebuit. ubi et *cibaria* mox, et *praesepium* exponit. inquinate aliqui. *loca lautitia*. Apud Apollinarem Sidonium. *loca lautia putes*. lib. VIII, Ep. XII. ita Iac. Sirmundus, ex cod. uti opinatur, probatissimae notae, uti nos quidem existimamus, in hoc certe loco, parum bono. minus tamen contaminata est scriptura, atque illa superior. *loca Latia*. sed inconsideratius confudit Sirmundus *loca lautia*, quae oportuerat distinguere. castigatius in libris, manu exaratis, Nansii, quos laudat, indice in Apuleium, Elmenhorstius.

stius. *loca et lautia putes.* nam locum Apuleii corrupte, sicut ostendimus, legit Sirmondus. nec faniolem habuit illum Symmachi, lib. IV, Epistola LVI, uel, ut alii ex membranis numerari malunt, lib. X, Ep. XXI. ubi meliores codd. distincte. *Musis in Palatio loca, lautia tu dedisti.* uidit huiusmodi quid Conradus Rittershufius, neque aliter ex scriptis libris edidit G. Scioppius, et Io. Philippus Pareus. probat lectionem, Scioppio probatam, Franciscus Iuretus, et *loca, lautia*, seiungit. libri prius excusi. *loca lautiora.* al. *loca aptiora.* neque id sine uitio, quod emendari, non erroribus cumulari, attinebat. ceterum Symmachus, ex imitatione Apuleii, uti plura, dixisse uidetur. sed uterque pari mendolo liberandus erat, ut in integrum uterque restitueretur. Multum igitur interest inter *loca*, et *lautia*. neque enim audiendi sunt, qui *loca lautia* exponunt *instructa*. errorem uulgi merito coarguit, et uerba, quae recentiores iungunt, scienter distinguit, Cl. Salmasius, Plin. Exercit. pag. 10cxii. quod, miramur, tantam Scaligeri doctrinam, curamque, fefellisse. cuius quidem auctoritate, exemploque, libris etiam mendose uulgatis, saepe multumque inducuntur eruditi.

B

Ne-

Neque uero idem est *lautitia*, ac *lautia*, uti quidem uidetur Christiano Becmano, alioqui doctrinae in retexendis originibus non spernendae, in hac uoce. Boxhornius etiam, cum annotat ad Plutarchi Quaest. Romanas aliqua, securius huc aduocat Festum, ab ipso Scaligero, quem laudat ille, aliter emendatum. atqui non oportebat *lautia* cum *lautitia* confundi, ut idem Scaliger, ex libris ueteribus, cautius obseruat. Propius huc accedunt *Copiae*, quas publice *praebitas* fuisse Prusiae, Bithyniae regi, ait Valer. Maximus, lib. V. cap. I. Liuius, cum tradit idem, uocat *sumtum ex publico praebere*. in lib. XLV. quare *copiarios* dixit uetus explanator Horatii, qui legatis *necessaria ministrabant*. ad lib. I, Sat. V, uers. XLVI. Παροχὴν uocant Graeci. uetus ex aere tabula, in qua incisum est S. C. et quam referimus acceptam Fulvio Ursino, ab eoque expositam habemus, atque in Corpus Gruterianum illatam, pag. 10111. ΤΟΠΙΟΝ ΠΑΡΟΧΗΝ ΤΕ. Latinis redditur literis in eodem monumento. LOCVM LAVTIAQVE. Polybius de legatione, ab Eumene Romam missa, atque ab Senatu benigne accepta. καὶ γὰρ ξένια, καὶ παροχὰς τὰς μεγάλας, ἐξέδθηκεν αὐτοῖς. quem
qui-

quidem locum mox attingam. Saepius autem hoc uerbo, uel absolute, uel cum adiunctione, utitur Polybius, ut, copias adenis praebitas fuisse, ostendat

IV

Lautia uulgo *munera* exponunt. Sed antiquum, quod ex illa laudauimus Vrsini tabula, monimentum, munera, et *Lautia* distinguit. nam munera uocat ξένια, *Lautia* uero παροχήν. ΧΕΝΙΑΤΕ ΑΥΤΟΙΣ ΚΑΤΑ ΤΟ ΔΙΑΤΑΓΜΑ ΤΟΠΙΟΝ ΠΑΡΟΧΗΝΤΕ. quod his mandatum est literis Latinis. MVNVSQVE EIS. EX. FORMVLA. LOCVM. LAVTIA QVE. distincte quoque Polybius de fratribus Eumenis, Romam missis, atque ab Senatu benigne acceptis. καὶ γὰρ ξένια, καὶ παροχὰς τὰς μεγάλας, ἐξέδθηκεν αὐτοῖς. conuertit If. Casaubonus. Nam et *hospitia*, et *lautia* uerissima iis exhibuit. mallet, uti uerba in utroque monimento distinguuntur. nam *munera*, et *lautia* amplissima, iis praebuit. Eclog. legat. LVI. Gl. quoque. ξένιον, τὸ δῶρον, τὸ πεμπόμενον ξένω. *Hospitale*. at in iisdem. ξένια. *hospitium*. quare Liuius, solemnum uerborum, quae in tabulis antiquis inuenerat, custos per-diligens, publicarumque notionum interpres

accuratus, *lautia*, et *munera* distinguit. *lautia decreta*, et *munera data*. in lib. XXXV, cap. XXIII. *lautiaque legatis praeberi iussa*, et *muneris ergo in singulos dari*, in lib. XXVIII, cap. XXXIX. *dona*, et *lautia*, distinguit idem, in lib. XXX, cap. XVII. *Lautia* tamen Plutarcho sunt *ξένια*, hoc est *dona*, ut explicant Gl. *hospiti missa*. atque ita *δῶρον*. *donum*, *munus*, *munusculum*. Sic autem uulgo loqui solebant Graeci, cum ea, quae postero die mitterentur hospitibus, *Xenia* appellarent, idemque nomen retinerent pictores his in rebus, quas picturis imitarentur. tradit M. Vitruuius, lib. VI, cap. X. Sed hic tamen generatim, et aestimato uniuersae rei iudicio, non ex singulari notione formulaque Latii ueteris, loquitur, et rem interpretatur, Plutarchus. quod homini Graeco, in peregrina republica, praesertim cum res in defuetudinem, ut ait, abisset, atque ipse, pro instituti ratione, rem summatim exponat, facile damus, ita tamen, ut, eum, exemplo antiquae tabulae, et Polybii, loqui magis definite potuisse, nihil inficiemur. ipse quoque Polybius, omissa distinctione, breuius, cum agit de Eumene rege, a Senatu Romano lautissime habitato.

to.

το. καὶ τὰς τῶν ξενίων παροχάς. reddit uir eruditissimus. *et lautia ei sunt praebita.* Legat. Eclog. XXV. alioquin idem κατάλυμα, et παροχὴν, ita distinguit, ut illa uoce hospitium et diuerforium, hoc est, *locus*, hac autem, quae ad uictum suppeditent, id est, *lautia*, intelligantur. Eclog. legat. CXXV. at locuples, maximeque idoneus, hic auctor est Liuius, qui aliter, sicut ostendimus, accipit *munera*, idque ex singulari, et solemni, Quiritium usu. ceterum Varroni, in quarto de LL. munus est, quod, *mutuo animo qui sunt, dant officii causa*, siue, ut Paullus ait, *quod officii causa donatur.* quod laxamentum si detur munerum notioni, eodem, sed generali ratione, pertinebunt Lautia, quae potissimum solebant iis praebere, quibus amicitia, et societas publice cum Romanis intercedebat. aliquando tamen amicis non ita firmis, aut aliis alieniori animo, praebere solebant, ut animum testarentur Quiritium potius liberalem, quam propensum. Non dissimili ratione aliquando παροχαὶ dicuntur ξένια, quae tamen usu, magis proprio et singulari, sicut ostendimus, distinguuntur. Erant igitur Lautia, singulari appellatione, non munera, re-

uera tamen honoris, et beneficentiae genus, quod in hospites, quanquam non pari studio, conferretur

V

Huc autem attinent res uariae illae quidem, non tamen, in promiscuo uictu, sic appellantur omnes, quae uulgo epularum instruerent lautitiam, neque eae cunctae, quae legatis, et hospitibus, publice dari solerent, uerum, quae illis, notatione ad domesticos usus definita, tribuerentur, commeatus, cibaria, et quaeuis necessaria suppellex. nam uetus tabula, quam euoluimus studio curaque F. Vrsini, Lautia Graece, ut diximus, παραχὴν reddit. at παραχὴν Etymologico M. est, ὅτι πολλὴ ὀχὴ πρόκειται. in εὐωχίᾳ. consimili ratione Apuleius Lautia per *cibaria*, ita uti demonstraui, explicauit. quare uel ex uno, quod laudauimus, ueteri monumento potest intelligi T. Liuius, quem tamen ipse Quiritium mos interpretatur. erat enim legibus, atque institutis hospitalitatis Romanae, receptum, ut, inter alia hospitalia, quae conseruentur comiter, in primis uictus publice hospitibus praeberetur. iam Liuius, cum distincta hospitalitatis genera nominatim appellat, *loca*,
Lau-

Lautia, munera sic enumerat, ut non obscuris prodat indiciis, per *Lautia* nihil aliud se uelle, quam ea ipsa, quibus subsidium quotidiani uictus instruatur. nec uero aliter *Lautia* exponunt ii, quibus quasi *lauta*, siue *lautitia* sunt dicta, ut epularum magnificentia, quam ex Festo afferunt, hic intelligatur. Sic enim et Carolo Paschali, et ipsi Marcello Donato, uisum est. de quibus tamen, consilioque uerbi, ab origine repetendi, quid sentiamus, ex superiori sermone potuit existimari. Ex locis tamen Liuii, inter se comparatis, non inscite conficit Marcellus, per *Lautia* intelligi, quae suppeditent ad uictum. ad Liuii lib. XX. Sed ex Polybio Liuium et poterat, et debebat, interpretari. ille uero *Lautia* Graeco uerbo nominat, ut diximus, *παροχήν*. Gl. *παροχή*. *Praebicio. praestatio. salarium.* *Salarium* autem explicatur, in iisdem uerborum explanationibus antiquis, *ὀψώνιον. παροχή. ἀννώνα.* ut idem, quod exposuimus, ubique intelligatur. Praeterea Fl. Sosipater Charisius filium, ad quem scripsit Institutiones Grammaticas, sic docet, uti quidem oportet interpungi. *Lautia, supellex.* lib. I, pag. XXI. consimili ratione uetus Glossarum artifex.

fex. ἐνδομενία, haec supellex, pluralia non habet. ἐνδομενία, haec Lautia, singulare non habet. Ait autem Liuius, Prusiae, Romam cum magno comitatu uenienti, eiusque comitibus, sumtum ex publico praebitum fuisse. in lib. XLV, cap. XLIV. quod sic exponit Valerius Maximus, copias non solum ipsi, regi Bithyniae, Prusiae, sed etiam comitibus eius, publice praebitas fuisse. in lib. V, cap. I. Gl. hae copiae. singularia non habet. ἐπιτήδεια, τὰ ἀναγκαῖα. Sunt igitur Copiae, quae et utensilia uocantur. recte sic explicat Apuleium, Miles. II, Io. Priscaeus, pag. CVII. dicuntur etiam utilia. Gl. utensilis, utilis, χειρώδης. plenius dixit Ammianus Marcellinus, ad uiuendum utilia. in lib. XXXI. idem uerbum alias occurrit, lib. XXV, apud eundem, atque apud Aurelium Victorem, in uita Gallieni. quare denuo sic exponuntur Lautia, ut iis uictus praebendi ratio, et copia contineatur. τὰ πρὸς τὴν χρεῖαν, dixeris ex Actuum Apostolicorum cap. XXVIII, comm. X. cibaria exponit H. Grotius. quo tamen accedere poterant alia quoque, quae nauigantibus usui essent, quod autem dictum latius erat a Plutarcho, hoc sic arripuit, uti solet, Alexander ab
 Alexan-

Alexandro, ut Lautia distingueret a commeatu, lib. II, cap. II. Alexandri, ut hic egerat cum Plutarcho, non nominati, uerba retinet Iac. Philippus Tomafinus, idemque sentit, et tradit. in libro, quem composuit de tesseriis hospitalitatis, cap. XIV. at enim et hoc, a Liuiio, ciue suo, cuius et uitam scripsit, melius, sicut ostendimus, edoceri poterat, et, quid, ex solempni Quiritium formula, inter munera, et Lautia intersit, ut minus ex aliorum opinione penderet, et fluctuaret. ueteri etiam, quod Fuluius Ursinus extulerat, monumento poterat doceri, ex ciuili, et publico loquendi usu, et Lautia, et Xenia, ad publicos etiam hospites pertinere. Nec uero, dum Plutarchum sequuntur, habent Romanae modum sententiae, Philippus Beroaldus, Adrianus Turnebus, Guilielmus Budaeus, Carolus Sigonius, atque alii, praestanti ceteroquin et ingenio, et doctrina, sed laxius hic, ac res tulit, antiquum morem interpretati, quod Lautia per cuiusuis generis munera, quae dantur legatis, uel principibus externis, exponunt. nominatim Guilielmus Budaeus *Lautiae*, ut ex corruptis codd. mendose uocat, appellatione complectitur eam pecuniam, quae in legationes suscipi-

C en-

endas *quouis modo* consumitur, annot. priorib. in Pandectas, pag. CCXXII. at pecunia etiam confertur in hospitia, munera, alia, a quibus tamen Lautia distingui solebant. quare G. Sciopius, quem meminimus, fines huius moris consideratius rexit, et Lautia sic explicauit, ut com-
meatui iungeret necessariam supellectilem, in altero suspectar. Lection. Epist. XXII. Claudius etiam Salmasius perite castigat recentioris aevi negligentiam, ac *loca*, et Lautia disiungit, atque his comprehendit, *quicquid ad epulas pertinebat*. libere, et scienter, sic pronunciat, quamuis Festi testimonio negotium non conficiat, exercitator Plinianus, in quo nunquam eruditionem, aliquando explanationem, desideramus.

VI

Verum tamen, illa quo tandem apparatu singula contineantur Lautia, difficile dictu est. A Geuerharto Elmenhorstio, quae legatis aduentantibus dari consueuerint, nominantur caro, piscis, uinum, frumentum, atque alia necessaria, in Indice Apuleiano. Illud quidem existimari potest, ut publici fuerint mores, sic fere publicas hospitiorum epulas fuisse. Pri-
scis

scis temporibus, cum tantus, et tam diu paupertati, ac parsimoniae, ut ait Liuius, honos esset, conuiuia instruebant pulli, olera, oua, poma, atque alia agrestium, et parabilium, ciborum genera, plebei calices, uina, dominata. haec erat illa prisca *Senatus Romani coena*, quam dixit *iam luxuriosam* Iuuenalis, Sat. XII, uers. LXXVII. hac fere, aut parciori quoque, ut exponit idem, utebantur illi Romanorum principes, Curii, Fabii, Catones, Scauri, Fabricii, continentissimae frugalitatis, et repressae luxuriae exemplo clari. *tales* igitur erant *cibi*, ut ait idem Poeta, *qualis* erat et *domus*, et *supellex*, uers. XCIX. eundem pristinae paupertatis, sed honestissimae, morem ingenioso simulacro hospitii, quo Aeneam accepisse fertur Euander, expressit antiquitatis Romanae occultior ille quidem, sed consultissimus, interpretes, Maro, in octauo, uers. CCCLXIV. hoc ex loco frugalis hospitii, et continentis, atque opes contemnentis, animi studium, exemplumque commendatur. alterum ab Iuuenale, Sat. XII, uers. LX. alterum a Seneca, Epist. XIIX. At, urbe crescente, auctus est et publicus, et priuatus, splendor, adeo ut, quamuis identidem censorum

feueritate pullulans luxuria reprimeretur, postremo tamen neque in operum magnificentia, neque in exquisitis conuiuiorum deliciis, modus esset. aetatis suae luxum in epulis, extructisque mensis, atque in ornanda omnis generis supellectile, perstringit idem Iuuenalis. ante hunc *abundantes uoluptates* aetatis suae insectatur, ipso operis primordio, Liuius. quid hic posterior aetas differat a ueteri, docet quoque Celsus. nam ueteres fictili, aut lignea, aut uitrea, aut aerea denique supellectili utebantur. postea ex ebore, atque testudine, et argento, iam ex auro etiam, atque gemmis, supellex conficiebatur. in Lege VII, Π. I. de supellectile legata. Romanorum denique luxum, in omni splendoris genere profusum, latius exponunt, et ueteris aevi frugalitatem comparant identidem, Io Meursius, et Stanislaus Kobierzyckius, industrii, atque eruditi, huius argumenti explanatores. Quare Lautia non eiusdem semper generis fuerunt, sed cum publicis moribus, institutisque, tum eorum, quibus praebantur, conditione et loco definita. In hanc sententiam crebriori usu uinum honorarium celebratur. Isidorus. *honorarium uinum, quod regibus, et potentibus, honoris*

ris caussa offertur. quod in prouinciis etiam datum fuisse, auctor est Cato, de innocentia sua. *cum essem in prouincia legatus, quamplures ad praetores, et consules, uinum honorarium dabant. nunquam accepi, nec priuatus quidem.* fragmentum laudat antistes Hispalensis, Originum lib. XX, cap. III. quod desiderare uisum in Fragmentis, eruditorum hominum studio conquisitis. mansit hic ritus dandi uinum, in aduentu illustrium hominum, ad nostram memoriam, et cum apud gentes alias, tum in Germania, magno studio colitur, ac uel ciuile obsequium publica ueneratione confirmat, uel honorem officiumque, ac gaudium, aduentantibus declarat. Laudantur amplius munera bouum, ouium, farinae, pomorum, atque alia, priscae liberalitatis, et honoris, exempla. Bouem mittunt Lacedaemonii, apud Xenophontem Histor. Gr. VII. bouum uero carnibus uesci solebant heroes, idque roboris caussa, ut Agamemnon Homericus, non perinde piscibus, ut ait Dio Chrysostronus, Orat. II. Trapezuntii Graecis dant boues, farinam, uinum, eodem auctore Xenophonte, lib. IV. ἀναβ. Graecis miserunt Sinopenses farinae medimnos ter mille,

uini amphoras M. D. et Heracleenses farris
 medimnum M. M. M. uini amphoras M. M. bo-
 ues uiginti, oues centum, ut idem testatur,
 de Cyri expeditione, lib. VI. Romano-
 rum legatis, qui eum adierant, bouem, et pi-
 sces fluuiatiles, misit Attila, in Eclog. legat.
 Pullos, oua, olera, poma, reliquasque res agre-
 stes, mittere Graecos consueſſe, ait M. Vitruuius,
 lib. VI, cap. X. *Porcum opimum, et quinque gal-
 linulas, et uini cadum, in aetate pretiosi*, miſſum
 ſibi commemorat Apuleius, *Metamorph. lib. II.*
 Apud eundem, quae ſint uſui neceſſaria, nomi-
 nantur *lucerna praegrans, et oleum ad lucem
 luci ſufficiens, et calida cum oenophoris, et calice,
 coenarumque reliquis diſcus ornatus*, lib. II.
Metamorph. Relinquimus alia, neque haec nul-
 lo gentium, hominumque diſcrimine accipi
 uolumus, duntaxat ut ex iis attingamus nonnul-
 la, quibus priſcae, et publicae liberalitatis co-
 piae inſtrui ſolerent. Omittimus enim cibos lau-
 tiores, et exquiſitiores, quos uocabant cupedia,
 ut ait Feſtus. Seneca quoque lautitiam ad coenas
 tranſlatam dixit, in *Epist. CXIV.* praeterimus
 omnem coenae florem, quem nominat Fauori-
 nus, quo triclinia exornari ſolebant. nec uero
 per-

iiii

per-

persequimur hic illa, quae de epulis, laute apparatus, exposuit Apuleius, lib. II, Metamorph. pag. CXXIII. Nolumus tamen sic contendere, illa Lautia semper ipso uictus genere praebita fuisse, ut inficiemur, ea potuisse nonnunquam, pretio persoluto, *mitti. mitti* tantum dicuntur in monumento ueteri, et *dari legatis hospitii gratia*, a Festo

VII

Hic autem honos iis praecipue, aut eorum legatis, haberi solitus est, qui erant socii, atque amici, a Senatu appellati, aut certe digni amicitia publica uidebantur. testem rursus citabo ueterem tabulam, in qua societas, atque amicitia, S. C. sancitur, et Asclepiadi, Polystratoque confirmatur. EOS IN AMICORVM FORMVLAM REFERVNDOS CVRARENT postea. MVNVSQVE EIS EX FORMVLA LOCVM LAVTIAQVE. Graece perscriptum est. ΤΟΥΤΟΥΣ ΕΙΣ ΤΟ ΤΩΝ ΦΙΛΩΝ ΔΙΑΤΑΓΜΑ ΑΝΕΝΕΧΘΗΝΑΙ ΦΡΟΝΤΙΣΩΣΙΝ et mox. ΞΕΝΙΑΤΕ ΑΥΤΟΙΣ ΚΑΤΑ ΤΟ ΔΙΑΤΑΓΜΑ ΤΟΠΙΟΝ ΠΑΡΟΧΗΝ ΤΕ. Gl. διάταγμα. Edictum. Album. item Formula. Livio est *ex instituto. ecquid ita non adis-*
sent

sent magistratum, ut, ex instituto, loca, lautia acciperent. rogati sunt in Senatu Illyriorum legati, lib. XLII, cap. XXVI. non dissimili ratione uetus magister in Gl. ἔθος, διάταξις. ita tradit Liuius de legatis Saguntinorum, lib. XXVIII, cap. XXXIX, de legatis Masinissae, lib. XXX, cap. XVII. de Onesimo, in formulam sociorum referri iusso, lib. XLIV. quare non solis regibus, et legatis, hic honos tributus est, sed etiam priuatis aliquando, quos praetermittere non debuerat Alexander Neapolitanus, lib. II, cap. II. Nonnunquam illud liberalitatis genus hostibus, etiam uictis, patebat. *ita Macedones deducti extra urbem, in uillam publicam, ibique iis locus, et lautia, praebita.* fidem faciat Liuius, lib. XXXIII, cap. XXIV. erat autem uilla publica domus perampla, in qua hostium legati, quibus in Vrbe non dabatur locus, commorabantur, recepti publice, et alti. exponit Bartholomaeus Marlianus, Urbis Romae Topographia, lib. V, cap. IV. uillae publicae effigies est in expresso simulacro, quod, ex argenteo familiae Didiae, et Fonteiae numo, dat Io. Vignolius, de Columna Antonini Pii, cap. II. hoc igitur intererat, quod sociorum legatis in Vrbe hospitium dabatur, iis autem

autem, qui ab hostibus uenerant, in uilla publica, extra urbem. exponit hunc morem Appianus, de Bell. Hispan. Sect. CCLXXXII, et Liuius, ut antiquitatis promus condus est, attingit rursus lib. XLV, cap. XXII. de Numantinis Dio Cassius, Fragmento XXV. addamus huc, si placet, Io. Sarium Zamoscium in libro, qui inscribitur de Senatu Romano, II, cap. XIIX.

VIII

Tantae liberalitatis fontem aperuit hospitalitas Romanorum, qua ducti, aduenis non solum aditum, sed etiam sumtum dare soliti sunt, cum iisque, iura hospitii coniunxerunt, et magna religione sanxerunt. Accedit magnificentiae studium, cui sic fuerunt dediti, ut nulli rei parcerent, qua Romani nominis dignitas amplificaretur. quod in primis futurum erat dandis beneficiis, et sumtibus in eos faciendis, qui cum publice uenissent, publice spectarentur, et siue reges essent, siue ab regibus, liberisque populis missi, omnium oculos in se conuerterent, atque, ubi demum reuertissent, hospitalis beneficii nuncii, famam Romani splendoris augerent. *nuncios hospitalium beneficiorum,*

D

qui

qui domos profecti sint, commemorat Liuius, lib. II, cap. XIV

IX

Quare benignitas publica differt ab illo hospitii iure, quod priuatim, et sancte, recipiendis, tuendis, ornandisque hospitibus, colebatur. nam ad hospites publice recipiendos, omnique sumtu leuandos, opus erat Senatus auctoritate, ex qua cum alia, tum Lautia decernerentur. sic Onesimo, qui confugerat ad Romanos, *locum, lautia, praeberi*, Senatus iussit. Liuius, lib. XLIV, cap. XVI. idem de legatis Saguntinorum memoratur, in lib. XXVII, cap. XXXIX. ita consulti a Marco Iunio cos. Patres, *an locum, lautia, senatumque darent* Rhodiorum legatis, lib. XLV, cap. XX huc attinet illud Senatusconsultum, quo identidem usi sumus, et societas, atque amicitia, publice confirmatur. hic autem primum Q. Lutatio, M. Aemilio Coss. negotium datur. EOS IN AMEICORVM FORMVLAM REFERVNDOS CVRARENT. Graece scriptum est. ΤΟΥΤΟΥΣ ΕΙΣ ΤΟ ΤΩΝ ΦΙΛΩΝ ΔΙΑΤΑΓΜΑ ΑΝΕΝΕΧΘΗΝΑΙ ΦΡΟΝΤΙΣΩΣΙ paullo post. MVNVSQVE EIS EX FORMVLA LO CVM

CVM· LAVTIAQVE· Q· VRB· EIS· LOCA-
 RE· MITTEREQVE· deficit hic tabula, lite-
 ris uetustate confectis, atque extritis. Graeca
 his quoque saniora sunt. ΞΕΝΙΑΤΕ ΑΥΤΟΙΣ
 ΚΑΤΑ ΤΟ ΔΙΑΤΑΓΜΑ ΤΟΠΟΝ
 ΠΑΡΟΧΗΝΤΕ ΤΟΝ ΤΑΜΙΑΝ ΤΟΝ
 ΚΑΤΑ ΠΟΛΙΝ ΤΟΥΤΟΙΣ ΜΙΘΩΣΑΙ
 ΑΠΟΣΤΕΙΛΑΙΤΕ ΚΕΛΕΥΩΣΙΝ. EX
 FORMVLA redditur Graece κατὰ τὸ διά-
 ταγμα. Gl. ueteres. διάταγμα. Edictum. Al-
 bum. ut intelligi possit, Lautia iure quodam
 publico constituta fuisse, quo et fruerentur ii,
 qui essent amici ab Senatu appellati. ita Liuius
 plenius. *ex formula iuris antiqui*, lib. XXVI, et
 C. Sigonius *formulam prouinciae* interpretatur
 ius prouinciale, lib. I. de antiq. iur. prou. cap. I.
 quare dixit Liuius *ex instituto loca, lautia acci-
 pi*, lib. XLII, cap. XXVI. idem. *munera, ex in-
 stituto data*. lib. XLII. cap. XXV. Gl. *institu-
 tum. ἔθος*. it. *διάταξις*. hoc est, *ex ueteri insti-
 tuto*, ut Tranquillus, A. XCIIIX. Valerius Ma-
 ximus. *more maiorum*. lib. V, cap. I. quod insti-
 tutum etsi primo magis in more positum erat,
 quam lege sancitum, tamen postea consuetu-
 dine quasi uim legis cepit, ut, iussu Senatus, at-
 D 2 que

que ex auctoritate publica, et ex formula, more maiorum constituta, munus, locus, Lautia praeberentur, eademque liberalitas publicis tabulis perscriberetur. nam, teste eadem tabula, iis, qui relati erant in amicorum formulam, ex eadem formula iuris hospitalis, Lautia, quoad digni hac benignitate uiderentur, dari solebant. quanquam uero amicis, et sociis, ueteribus, cum accessissent, iussu Senatus, decernebantur Lautia, et alia, tamen hoc ad confirmandam ueteris hospitii fidem pertinebat. nam poterant etiam haec, quae comiter, atque hospitaliter fierent, non praestari. poterant ii, qui amici fuissent, prope hostium more haberi, si amicorum facere officium non uiderentur. ita partim consul pronunciat, partim usu uenit Rhodiorum legatis, ut narrat Liuius, lib. XLV, cap. XX, et XXII. Quare, cum Lautia darentur ex instituto, tanquam res, publice gesta, publicis etiam Quiritium monumentis tradi solebant. est hoc in libris Pontificum linteis, seu, uti malunt alii, in Actis Urbis Diurnis, quorum fragmentum retulit in annales Stephanus Vin. Pighius, ab hoc sumfit Thomas Reinesius, Class. IV, Inscript. II, auxitque, ex schedis Isaaci Vossii, Io. Georgius Graeuus,

us,

us, maiori uero parte Henricus Doduuellus.
 LAVTIA· LEGATIS· AETOLVM *add. OR· If*
 DATA. Hi, et his confimiles, sunt illi fontes, *VOSS.*
 e quibus hausit T· Liuius, ut diceret ex formu-
 la solemnī. quare Liuii uerba non inscienter
pro senatus oraculis habet Barnabas Briffonius,
 lib. VIII, de Formulis. nisi potius omnis Romanae,
 et publicae, uocis oracula uideantur. *Lautia*
 tamen ad priuatum hospitii morem traduxit
 M· Cicero, lib. IX, Epist. V, ad Varronem, si be-
 ne illum emendat G· Scioppius. *ut lautia para-*
ta sint. Suspect. Lect. lib. II, Epist. XXII. Cod.
 Basileensis. *lautio parata sit.* alii tamen libri
 scripti. *ut lauatio parata sit.* sed emendationem
 Scioppianam Iacobus Lectius probauit. uelut
 certam, tacito Scioppii nomine, recepit Io.
 Philippus Pareus, in Lex. Symmachiano. Sane
 Codd. plures aliquid negotii faceffunt. alioqui,
 cum ad Varronem scriberetur epistola, huic
 quidem, antiquitatis Romanae inuestigatori, ut
 disputatur in Quaestionibus Academicis, facile
 principi, non displicere uidebatur uerbum, an-
 tiquis, publicisque, tabulis tritum

X

At enim, ex S· C· iussu coff. Lautia praebuit

D 3

Quae-

Quaestor urbanus. tradit hoc aeneae, quam identidem laudauimus, tabulae monumentum. idem Graece dicit ΤΟΝ ΤΑΜΙΑΝ ΤΟΝ ΚΑΤΑ ΠΟΛΙΝ. Quaestoribus autem dabatur negotium consulendi legatis, atque hospitibus, quod, in aede Saturni, curabant aerarium, et sumtum, ubi opus erat, de publico dabant, earumque rationum tabulas conficiebant. horum munus uberius, aliquando tamen, ut solent compilatores, securius, exponit Alexander Neapolitanus, lib. II, cap. II. maiori fide, et cautione fontes, pro doctrina sua, nominat Iustus Lipsius, antiquitatis, qua magistratus ueteris populi Romani continentur, indagator, atque explinator, pereruditus, cap. XVI. Quare illorum erat, ut accepimus a Plutarcho, legatis Lautia mittere, aegrotantium curam suscipere, mortuosque publico sumtu sepelire. itaque, ut exponit idem, quaestores adibant legati, iisdemque nomen dabant, ut in tabulas referrentur. in hanc sententiam ex Illyriis, in Senatum uocatis, quaesitum est, *ecquid ita non adissent magistratum, ut, ex instituto, loca, lautia, acciperent. sciretur denique, uenisse eos, et super qua re uenissent.* quare non solum curia excedere iussi sunt, sed

iis

iis etiam, tanquam legatis, qui adire Senatum non postulassent, hunc dari non placuit. antiqui moris riuulum ducimus e fontibus Liuianis, lib. XLII, cap. XXVI. neque enim satis erat, quaestorem adiri, sed petendum etiam erat, uti Senatus daretur, in quo et audiebantur legati, et cum alia hospitalis beneficii genera, tum Lautia decernebantur. Sed munus quaestorum tradit minus explorate, et minus integre, Henricus Kippingius, quos ait peregrinorum, aut sociorum, regum legatis, in uilla publica, extra moenia condita, locum, lautia praebuisse. Antiq. Roman. lib. II, cap. III. namque id hospitii datum fuisse legatis hostium, quibus extra Urbem commorandum erat, discere poterat ab ipso, quem laudat, B. Marliano, et, quem addimus, Alexandro Donato, lib. III, de Vrbe Roma, cap. XVI. itaque discimus ex Appiano. illud tamen ex eodem comperimus, amicorum legatos in Vrbe hospitio acceptos fuisse, Lautia praebente quaestore, sicut ostendimus, urbano. Cum magnae dignitatis amici accederent, quaestor, more maiorum, obuiam mittebatur, amicos excipiebat, deducebat ad publicos penates, et munera quotidie dabat. hos officiorum gradus ex-
po-

ponit ipse Senatus, cum Ptolemaei regis subito, et clandestino, aduentu oppressus, iuuenem ex hospitio Alexandrini pictoris, quo se contulerat, arcessit, ad eumque accurata excusatione utitur, et uel ipse, humanitatis probandae studio, quaestoris aliquas partes administrat, uel huic, quid fieri uelit, ostendit. memoriae proditum est a Valerio Maximo, lib. V, cap. I. distincte numerat munera, et Lautia Liuius, ut dixi. neque aliter uetus monumentum, Graecis, Latinisque uerbis, sicut ostendi. at hic Valerius *munera* latiori, minusque definita, uoce nominare uidetur. nam curae fuit Senatui, uti *munera regi quotidie per quaestorem darentur*. at enim haec erant Lautia, quibus res quotidianae, hoc est, ad uitam tolerandam necessariae, appararentur. Sic Graeci primo die hospites ad coenam inuitabant, postero mittebant pullos, oua, olera, poma, reliquasque res agrestes. exposuit M. Vitruuius, lib. VI, cap. X. ubi tamen mendose uulgo, *postremo*. inquinata hic est uel ipsa Elzeuiriana. emendatior Iuntina. *postero*. Planius autem loquitur Valerius, cum dicit paullo ante, Prusiae, Bithyniae regi, *copias*, neque huic solum, sed etiam comitibus eius, publice

blice

blice praebitas fuisse. erat autem ei obviam P. fed uti Liuius uocat, L. Cornelius Scipio, quaestor Capuam missus. erat etiam ei *domus Romae quam optima conducta*. sic erant regiloca, Lautia decreta. Interdum quaestor Roma alio missus est, ut amicis loca, Lautia, munera, praebere. ut Brundisium, quo Masanissae filius aeger erat delatus. hic illius cura, ut idem commemorat Valerius, et *hospitium* adolescenti expeditum est, et omnia, quae ad ualitudinem opus essent, praebita, et impensae liberaliter cum ipsi, tum toti comitatu, praestitae, dona etiam equitibus data. ex hoc Valerii loco supplenda est lacuna Liuii, lib. XLV, cap. XIV extremo. melius fortassis, atque id quidem praestitum est ab Io. Douiatio. namque ex Liuiio delibauit Valerius, et multa illius uerba retinuit, ut perspicuum est, aliis, quae affert, cum Liuiio collatis. Ceterum apud Graecos idem fere praestabant in legatis recipiendis *πρόξενοι*, quod apud Romanos Quaestores. docet explinator Demosthenis, ex eoque Gu. Budaeus Comment. Ling. Gr. pag. CCCXXI

XI

Ab hoc munere, praebendi Lautia, *Parochum*
E

chum dici quaestorem, putant nonnulli. ita Ciceronem exponit Sim. Bosius, lib. XIII, ad Atticum, Ep. II. lectionem aliam sequitur Auf. Popma, Parochum tamen interpretatur eum, qui praebet Lautia, puta domum, et omnia, ad uictum necessaria, munera, neque in Vrbe tantum, sed etiam in prouinciis, hoc est, ut nominatim loquamur de Vrbe, quaestorem urbanum. sed de Cicerone uidero post. Interim parum iuuat Bosium uetus S. C. idemque a nobis identidem recitatum. in hoc quidem Lautia sunt *παροχὴ*, sed *quaestor urbanus* ὀταμίας ὁ κατὰ πόλιν, non *πάροχος*, uocatur. necdum confecit Popma, aequae in Vrbe, atque in prouinciis, parochum dici. quare ne illud quidem consequitur, parochum nominari quaestorem urbanum. indulget etiam sibi liberalius, quod parum considerate Lautia cum domo coniungit, quando Lautia, et loca, ut diximus, publico, accuratoque, loquendi usu distingui solent. Veniamus ad M. Tullium. *omnino eum Sestius noster parochus publicus occupauit.* ita Graeuiana. etiam antiquiores codd. quos inspexit, sequiturque, Petrus Victorius. non aliter Sebast. Corradus, Leonardus Malaspina, D. Lam-

Lambinus. alii tamen. *parochis publicis*. sic Fulvius Ursinus, Fr. Iunius, Ioann. Fred. Gronovius. repudiata uidelicet lectione uulgata. *parochiis publicis*. At enim obseruat perite Malaspina, non Romae, sed in itinere, ac prouinciis, Parochos fuisse. namque hi erant illi, qui peregrinis, et, reipublicae causa, iter facientibus, praeberent tectum, tum ligna, saleque, ut ait Horatius, Sat. V, lib. I, u. XLVI, et Acron ad hunc locum. comparari expedit Ciceronem, lib. V ad Attic. Epist. XVI, et Liuium, lib. XLII. non omnia tamen necessaria praebebant Parochi, ut recte huc notat Laeu. Torrentius. Gl. *παροχή* praebicio. praestacio. *Salarium*. hinc *παροχοί*, quasi praebitores. discedit a peruulgata Parochi deductione Iac. Cruquius, ad memoratum Horatii locum, usum tamen uoci relinquit. Parochos prouinciis attribuunt et numi. ΠΑΡΟΧ· ΝΙΚΟΜΑΧΟΥ. si acutius, ac Patinus, uidit Io. Harduinus, in numis antiquis, pag. LXIX. Quare iis assentior fere, qui Sestium hic *εἰρωνικός*, et per iocum, quo uti solebat in amicos perfacetus Cicero, *parochum publicum* dici existimant, quasi Sestius has Parochi partes in Vrbe occuparet, ut Ariarathen

Ciceronis hospitio praeriperet, et peregrinis, praesertim uiris magnis, domum suam deducendis, publice hospitalis uideri uellet. nisi hic, ubi cum Attico, Graece doctissimo, ex imitatione Graecorum agere solet M. Cicero, ex emendatione, a Fulvio Ursino asserta, *parochis publicis*, ipsa interpretemur Lautia, quae, iussu Senatus, Ariobarzani filio, Romam uenienti, praebuerit Sestius, uti solebant legatis externarum gentium, et regibus, in Urbem uenientibus, praebere. utramcunque amplectamur sententiam, nondum singulari, et ciuili usu recepto, nomine Parochus erit Quaestor urbanus, quamuis alioqui sic uocari possit uel nomine, quod *παρέχειν* est praebere, et parochus praebitor dici potest. ait autem Iunius, parochos fuisse priuatos, aut publicos. publicos, aut praefectos, aut ministros. praefectos ordinarios, ut quaestores, aut extra ordinem delegatos, uel etiam uoluntarios, quos dixerint copiariorum. ministros, qui ligna salemque, ut Horatius loquitur, praebuerint, ex praefectorum instituto. equidem nil abnuam, quin quaestores, quos parochos publicos uocat ille, uel sint ministris, quorum opera Lautia administrarentur.

at

at nomen parochi, qua usu ciuili ualet, nondum Vrbi explorata uindicauit ille, idemque si uellet sequi, extra Urbem, fortassis apud Parochum Horatii, cum Poeta, diuerti debebat. nam Parochum Varronis, quem laudat Nonius Marcellus, rectius extra Urbem quaerere sibi uidentur eruditi

XII

Erat uero haec liberalitas maiestate tanti nominis digna, multumque ualebat ad regum, liberorumque populorum, animos uel conciliandos sibi, uel in superioris beneuolentiae studio confirmandos. namque humanitas cum omnibus est grata, tum iis praecipue, qui, ubi ex disiunctis locis ignoti accesserint, tam blande et benigne excipiuntur, atque habentur, ut non peregre, sed in patria, uersari uideantur. quare cum in excipiendo Prusia, Bithyniae rege, *tota urbs unius humani amici uultum haberet*, ut ait Valerius Maximus, accidit, ut, *qui amantiſſimus Romanorum uenerat, duplicata erga hos beneuolentia*, in regnum reuerteretur, ut tradit idem, lib. V, cap. I, quo humanitatis, et clementiae, Romanae exempla promit. Haec autem animorum conciliatio facilius erat, quod alii honores, alia adiciebantur munera, quibus

homines facile capiuntur. Legatis conciliatis, expediebat, explorari consilia, mandata, alia, quae nosse intererat, et multis difficultatibus, illorum ope beneuolentiaque, mature poterat occurri, nec uero hic praetereundum est consilium honoris iis habendi, qui de Romanis aut bene meriti, aut bene meritori uiderentur

XIII

At illud inter ciuiles doctores quaeri solet. liceatne legatis accipere Lautia? quem quidem locum cum leuius attingimus, principio intelligimus, hic quoque, corrupta uerbi notatione, a uiris, alioqui non indoctis, et prudentibus, offendi. nam Lautia uniuerse pro cunctis, quae legatis tribuantur, muneribus accipiunt, fecius, ac uerbi huius facultas, ususque ferre consueuit. Etsi uero proprio loquendi usu a muneribus differunt Lautia, habent tamen aliquam muneris rationem propterea, quod hospitii gratia dantur. Alberico autem Gentili uisum est in solidum, eum, qui semel acceperit munera, largitionibusque sit corruptus, manere iam non posse constantem publicorum iudicem commodorum. quare Laelius Bisciola improbat ueterem illum morem, omnium fere gentium

tium

tium consensione institutum, externarum legatis nationum, uel principum, ampla impertienti munera, quibus conciliati, et corrupti, non possint, qua oporteat fide atque integritate, rem administrare. Vol. II, lib. VII, cap. IX. At, multum interesse, censent alii, inter munera, quae praebeantur, ut corrumpantur legati, et illa, quibus honoris, et beneuolentiae significatio detur. Ita, respondent alii, non tam peccatum uitari, quam peccandi occasionem dari, ubi monstretur uia culpam susceptam purgandi. Ac lege quidem cauerunt Corinthii, ne dona accipiant legati. quare cum munera, sibi delata, recusarent Corinthiorum legati, hos, praedicauit tyrannus, inique facere, cum adimerent, quod solum boni tyrannides habeant, docerentque, esse uel ab ipsis tyrannorum beneficiis metuendum. tradit Plutarchus in facete dictis, quae Apophthegmata dicunt Graeci, Dionysii senioris. Athenienses quoque cauisse, ne munera acciperent legati, exemplum declarat illius, qui parum abfuit a uitae discrimine, commemoratus a Xenophonte, in lib. VII, Rer. Graec. multos autem, spectata alioqui fide, muneribus corruptos fuisse, constat. quare, cum uim mune-

ne-

nerum noffet Ludouicus XI, uafro rex ingenio, fumma ope nifus fertur, ut donis hoftium legatos deliniret, fibique deuinciret. At enim permagni refert, quas quisque res in legatione adminiftret. quibus fi nihil a muneribus periculi eft, ne fides labefactetur, adeo non refpuuntur dona, ut interdum ne honefte quidem ac uerecunde, uelut in nuptiis Principum conciliandis, et huius generis rebus aliis, repudiari poffint. prudenter haec affert Christophorus Befoldus, fed licentius ufurpat Lautia, alioquin interpretes reipublicae laboriofus, et copiofus, in lib. II, cap. VIII. Adiiciunt alii, multum interefle, utrum munera propalam, an clanculum, accipiantur. ab his, quam ab illis, plus efle periculi, non frustra putant. fed hic quoque abftinentia, et moderatio animi et honeftior, et tutior erit libidine, et cupiditate, fi qua, accipiendis muneribus, prodi, atque eminere uideatur. Maiores quidem nostros accepiffe munera, auctor eft Tacitus, apud quos erat uidere *argentea uafa, legatis, et principibus eorum, muneri data*, ut ait idem, ueteris Germaniae fcriptor, cap. V. haec munera fic oftentare solebant, ut indignarentur maxime illa non confecuti, fi credimus

Am-

Anmiano Marcellino, lib. XVI. Sic autem opera, bene praestita, praemiis dignis afficienda uidebatur, uti causam agit illorum Matthias Berneggerus, Quaestione XVI. Iam si Lautia, magis tamen uoluntate studioque dandi, quam dicendi usu ciuili, aestimata, in muneribus numerentur, nihil hic, ut a donis clandestinis, singularibus, infidiosis, et captiosis, timendum uidetur. illis quidem accipiendis tantum dignitatis publicae contineri, existimabant ueteres, ut, horum fructu qui carerent, ii uiderentur sibi, quod diximus de Rhodiis, indignius haberi. Ac pertinet quidem ad honorem illius, cuius personam sustinent legati, cum hi publicis honoribus illis sic excipiuntur, ut in ipso legato Princeps colatur. nec uero haec humanitas accipientis abstinentiam tentat, fidemque laceffit, et suspectam reddit, quia est publica, communis cum aliis, et usu solemni recepta. quemadmodum delata, illius, a quo proficiscitur, uoluntatem beneuolentiamque, cum honoris habendi studio coniunctam, declarat, sic repudiata superbius, illius contemtionem aliquam prodit. Quapropter hic mos et humanioribus ueteris aevi populis probatus fuit, necdum displicet, praef-

F fer-

fertim cum in primis ex dignitate publica esse uideatur. quare non alienum est hoc loco, quod, *de officio Proconsulis*, Lege VI, II, dixit Vlpianus. non in solidum Xenis abstinendum, sed modum adiiciendum, *ut neque morose in totum abstineatur, neque auare modus Xeniorum excedatur.* quam rem, ut pergit idem, *Diuus Seuerus, et Imperator Antoninus, elegantissime epistola sunt moderati.* cuius epistolae uerba haec sunt. quantum ad Xenia pertinet, audi, quid sentiamus. uetus prouerbum est. ὄυτε πάντα, ὄυτε πάντοτε, ὄυτε παρὰ πάντων, id est, neque omnia, neque quouis tempore, neque ab omnibus. nam ualde inhumanum est, a nemine accipere, sed passim, uilissimum est, et omnia, auarissimum. Ait postremo. et quod mandatis continetur, ne donum, uel munus, ipse Proconsul, uel qui in alio officio erit, accipiat, ematue quid, nisi uictus cottidiani caussa, ad Xeniola non pertinet, sed ad ea, quae edulium excedant modum. hactenus Vlpianus, qui donum, et munus a Xeniolis distinguit, et *edulia* commemorat, conceditque ea, quae Lautia largiuntur. Nec uero minus quibusdam, siue legatis, siue Principibus ipsis, ex dignitate publica uisum est, non
recu.

recusare Lautia illa quidem, sed, quae acceperant, aliquando suis distribuere, aut alienis

XIV

Solebant Lautia cum aliis generibus humanitatis publicae coniungi. namque aedes liberae, loca, tum dona et munera, propria, singularique appellandi ratione, dabantur. hinc illud. *locus inde, lautiaque.* Liuius, in lib. XXVIII, cap. XXXIX. *ad hoc aedes, libera loca, lautia legatis decreta.* in lib. XXX, cap. XVII. codd. aliqui. *aedes liberae, loca, lautia. ibique iis locus, et lautia, praebita.* in lib. XXXIII, cap. XXIV. *et aedes liberae, locus, lautia decreta.* in lib. XXXV, cap. XXIII. al. *aedes liberae Attalo, ac lautia. an locum, lautia, senatum darent.* in lib. XLV, cap. XX. *ut, ex instituto, loca, lautia acciperent.* in lib. XLII, cap. XXVI. Hic aedes liberas exponunt, Carolus Sigonius, explanator Liuianus, exquisita alioqui doctrina, atque Hadrianus Turnebus, *Aduers.* lib. III, cap. XXXII, quae a nemine incolerentur alio, nisi ab iis solis, quibus uacuae darentur. aliis autem, in iisque Carolo Paschali, aedes liberae sunt *incustoditae*, quod nihil necesse sit, eos custodia, et satellitibus

tellitibus, stipari, a quibus nihil fit timendum. cum Marcello tamen Donato malimus interpretari aedes liberas, quae gratis, et sumtu publico, in Vrbe attribuerentur. sic enim tulit, uti diximus, mos Romanus. hoc illud est, *aedes instructas locare, aedes, quae benigne reciperent, conducere, aedes hospitales assignare.* sed relinquamus Marcello, quae ex Liuiio, et Valerio Maximo, laudat. interpretes excitemus ex Liuiio Rhodiorum legatos. his uero, ex auctoritate Senatus, non datur locus, inter ea, quae focis, atque amicis, comiter, atque hospitaliter, praestari solebant. quare, cum fortunam queruntur suam, *locum* uocant *hospitium publicum*, eique opponunt *sordidum diuersorium*, quo sint *uix mercede recepti.* in lib. XLV, cap. XXII. atq. adeo erant aedes mercede iam conducendae, quae fuerant liberae, hospitalesque, antehac assignatae, siue *aedes liberae, hospitio datae*, ut integrius idem loquitur Liuius, in lib. XLII, cap. VI. ita nihil necesse est, ut cum Henrico Doduuello, V. C. alio abeamus, aedesque demum intelligamus liberas molestis uicinorum, et magistratum, quas insulae habebant. constat alioquin ex Urbis Notitiis, quemadmodum

aedes

aedes separatae insulis soleant opponi, hisque pauciores plerumque numerentur. at enim recentiores illae sunt Notitiae, et liquet, ante Neronem plures in Vrbe domos, quam insulas, post Neronem contra, fuisse. confirmat Tacitus, et docet, ad Tranquillum, Isaacus Casaubonus, Caes. cap. XLI. quare temporibus illis, de quibus hic agit Liuius, cum pauciores essent insulae, quam domus, plus uero molestiarum haberent insulae, non erat magni beneficii, aedes liberas tanta cura assignari, ut hae insularum molestiis uacarent. fortasse diceret aliquis aedes liberas uectigali, id est, publicas, ut templa, et basilicas, nisi alienum foret, eas conduci. nec uero abnuam, quin et huius forsan generis hospitia data fuerint aliquando, ut de uilla publica constat. Nihil autem, existimat Barnabas Briffonius, interesse inter *aedes liberas, libera loca, publicum hospitium*, quae mutuo soleant exponi, lib. II. uerum tamen in loco, quem recitat ex Liuiio, ex libris scriptis, sicut ostendimus, legunt nonnulli meliores, non *aedes, libera loca*, sed, cum interpunctione, *aedes liberae, loca*. atque ita alibi, in lib. XXXV. *aedes liberae, locus*. emendatius, opinor. aedibus ta-

men adiicitur aliquando *locus*, aut *loca*. *locus* autem, alias *loca*, *lautia*, uerba sunt, ex conceptis solemnibus formulae uerbis, quibus studet cum maxime Liuius, repetita. nam, quod, *ex instituto, loca, et lautia accipi*, dicitur apud Liuium, id publice dictum putemus. Hic tamen *locum*, aut *loca*, apud Liuium, Marcellus Donatus exponit de locis, quae regibus, aut eorum legatis, ad spectandum in theatro assignarentur, uel in Senatu, aut Comitio, ad eos audiendos, praebentur. sed aliena fere sunt hoc loco, quae affert, etsi rem, ab aliis nondum expositam, primus aperire sibi uidetur. nam *locum, lautiaque*, ex formula, usu ciuili recepta, dixit Patauinus. iam in aenea scriptum est tabula, qua Senatusconsultum de societate, atque amicitia, continetur. ΤΟΠΙΟΝ ΠΑΡΟΧΗΝ ΤΕ ΤΟΝ ΤΑΜΙΑΝ ΤΟΝ ΚΑΤΑ ΠΟΛΙΝ ΤΟΥΤΟΙΣ ΜΙΘΩΣΑΙ ΑΠΟΚΤΕΙΛΑΙΤΕ ΚΕΛΕΥΩΣΙΝ. et redditur in Latino monumento. LOCVM LAVTIAQVE Q VRB EIS LOCARE MITTEREQVE. ubi ΜΙΘΩΣΑΙ effertur concepto uerbo LOCARE, et refertur ad ΤΟΠΙΟΝ, hoc est, ut Latinis literis mandatum est, LOCVM. explanatius dixit

xit

xit Liuius, *aedes instructas locare*, in libro XLII. *aedes conducere*, in lib. XLV. quod quidem minus conuenire uidetur in locum, dandum in spectaculis, quae auctoritate publica fiebant, ut nihil esset necesse redimi publico aere loca, quae publice assignari solerent. alioqui, legatos in Orchestra confedissee, uulgatum est. multo minus illud conuenit in locum, in Senatu, uel in Comitio, dandum. Liuius enim distincte, ubi *hospitale ius* exponit. *an locum, lautia, senatumque, darent.* in lib. XLV, cap. XX. ibidem *locus* post exponitur *hospitium publicum*, cap. XXII. ita *publico hospitio excipere*, Valerius Maximus, lib. V, cap. I. idem Liuius ait, legatos regis Philippi *extra Urbem, in uillam publicam*, deductos fuisse, *ibique*, non in Senatu, *iis locum, et lautia praebita*, et demum *ad aedem Bellonae Senatum habitum.* in lib. XXXIII. quare frustra, neque aestimato, ex publico usu, loquendi more Liuiano, intelligendum putat de Senatu Marcellus Donatus, quotiescunque locus, honoris causa praebitus, aut minus, apud Liuium occurrat. sic multa dicuntur ante, quam explorentur. Fuisse alioqui locum, prope curiam Hostilianam substructum, ubi nationum subsisterent legati,

gati,

gati, qui ad Senatum essent missi, eumque Graeco-
costasin nominatum a parte, ut multa, auctor
est M. Terentius Varro, in libro IV de Ling.
Lat. In Carinis *lautia*, loca fuisse legatorum,
*quae in ea regione instructa accipere consueue-
runt*, dicit Seruius Danielis, ad Aeneid. lib. VIII,
u. CCCLXI. inde, putant aliqui, hunc uicum in
Urbe, regione quarta, a Poeta uocari *lautas
Carinas*. uetus enarrator Horatii, lib. I, Epist.
VII, *lautas* appellari uult propter nobiles. alii,
propter elegantiam aedificiorum, ut idem ait
Seruius, quando in ea regione, in modum ca-
rinae nauis extracta, et amplissimis, ac splendi-
dissimis, aedibus exulta, uiri principes, Pom-
peius, Cicero, atque alii, habitasse memorantur.
quare potuit haec regio hospitia, si credimus
Seruio, praebere, hospitem splendore, et ho-
nore, iis publice decreto, digna

XV

Ceterum plura erant hospitalitatis, honoris,
et benignitatis, genera, ut munera, equi, arma,
uasa argentea, atque aurea, uestimenta comiti-
bus data, quae Liuius, lib. XXXV, lib. XXXIIX,
lib. XLII, lib. XLV, et locis compluribus, ex-
ponit. nostra refert, *Lautia*, uti diximus, Li-
uia-

uiano scripturae genere, quod est ad publicam, solemnemque formulam grauiter expressum, a *muneribus*, et *donis*, distingui. Est tamen in fragmento, quod laudauimus ex libris Pontificum linteis, uel, ut alii coniiciunt, ex Actis diurnis

LAVTIA·LEGATIS·AETOLVM·*DATA * *add. OR.*

⌌ ⌌ AER·GRAVIS·IN·SINGVLOS *Voss.*

DIMIDIUM·EIVS·COMITIB

Refellit hic Stephanum Vinandum Pighium, V. C. Henricus Doduuellus, et perite docet ille quidem, non eodem semper modo dona legatis fuisse decreta, sed non primus, quando idem iam praeceperat Barnabas Briffonius, lib. II. Recte tamen suspicatur, quod quidem exploratius et nosse poterat, differre Lautia, et dona, in quo lapsus est Pighius, multique, sicut praediximus, falli solent. quare, nisi, conuulsis literis, manca et mutila est scriptura, propius uerum est, quod hic praebitum sit aeris, in Lautia fuisse collatum, quando aut tantum sumtus in singulos, uel in Vrbe, uel in Italia, alendos, fiebat, aut pro rebus, quae non praestarentur ipsae, pretium persoluebatur. Lau-

G

tia

tia etiam saepe tacentur, et tacite intelliguntur, cum aliter, aut breuius, loquuntur scriptores. ut ipse Liuius de Antiochi legato. *aedes liberae hospitio datae, sumtusque decretus, donec in Italia esset.* in lib. XLII, cap. VI. *aliaque hospitalia comiter seruata.* in lib. XLII, cap. XXIV. aliis hic alii uerbis utuntur. Polybius unum fecit uerbum, *ἐυεργετῆιν.* excerpt. Legat. LXXXIIX. alias plura. sed hic plus intellexit. quare uim uerbi assecutus est Is. Casaubonus, cum de Graeco conuertit. *neque lautia, aut aliud beneficium etc. legatis dare se debere.* sic enim, ex auctoritate publica, usu uenisse Rhodiorum, de quibus loquitur ille, legatis, Liuius confirmat. Hic omnium maxime Lautia retinet, quod uerbi ab hoc potissimum sequiores, rarius tamen, uidentur sumfisse. at ille mutuatus est ex tabulis publicis, quas ita excussit, ut insigniores formulas saepe pariter cum rebus gestis afferret. quare ad tabularia, in quibus uersatus est Liuius, respici atinet, cum aliqua promit singularia, saepeque non solum in rebus, sed etiam in formulis, aevi consuetudinem sequitur, usuque dicendi distinguit. multi satis habent, si aetatis suae ut res, ita uerba, expromant. Liuius in omnium

com-

commentariis aetatum, cum singulari studio
publici solemnisque stili, uersatur

XVI

Perantiquus erat mos praebendi Lautia, et,
quoad assequi coniectura possimus, natus cum
ipso hospitii iure, cui maxime studebant Ro-
mani. sic Albanorum legati, qui res repetitum
uenerant, *excepti hospitio* ab Tullo *blande, ac
benigne*, callide tamen, cum ea res alio specta-
ret, *comiter regis conuiuium celebrant*, ut ait
Liuius, lib. I, cap. XXII. Dionysio Halicarnaf-
seni est. *πρέσβεις ξενίζεν πάση φιλοφροσύνη.*
Antiq. Roman. lib. III. iam, quae fuerint in ho-
spitibus, liberaliter habendis, quaestorum par-
tes, explanatum est supra. Siue igitur uerum est,
quod tradidit Gracchanus Iunius, ipsum Romu-
lum, et Numam Pompilium, binos quaestores
habuisse, quos ipsi non suo, sed populi, suffra-
gio crearent, siue crebriori apud ueteres opi-
nionem receptum, Tullum Hostilium primum
in rempublicam induxisse Quaestores, siue il-
lud magis certum, Tullo Hostilio rege, quae-
stores fuisse, ut ait Vlpianus, non alienum est,
uel ex ipso Quaestorum munere illius, qui ho-
rum administratione continebatur, ritus anti-

quitatem aestimare. Atque haec quidem con-
 fuetudo, stante, liberaque republica, in primis
 culta est, et multis exemplis publicae liberali-
 tatis, atque humanitatis, eluxit. at sub Princi-
 pibus mutauit paullatim, et postea defecit. nam
 Plutarchus auctor est, aetate sua, hoc est, lon-
 ge lateque prolatis imperii finibus, non am-
 plius dari Lautia, idque ob multitudinem con-
 fluentium undique legatorum. submonet tamen,
 esse id curae, ut accedant ad Saturni aedem le-
 gati, ibi praefectis aerario profiteantur nomina,
 atque ab his in tabulas publicas referantur. de-
 scripsit hoc, praeterito, ut solet, auctoris no-
 mine, Alexander ab Alexandro, lib. II, cap. II.
 Explodit autem rationem detrahendi Lautia,
 tanquam a uulgo literatorum, ut ait, profe-
 ctam, Carolus Paschalius, et propiorem repe-
 risse sibi uidetur. procedente tempore, Romam
 uictoriis, et rebus bene gestis, factam esse patri-
 am omnium prope gentium, quarum legationes,
 quoties Urbem inierint, non sicut externorum
 exceptae sint, sed ut prope domesticorum. ha-
 ctenus eleganti, et copiosa uir doctrina, rebuf-
 que publice administratis, ad munus Legati or-
 nandum iuxta, atque instruendum, excultus,
 cap.

cap. XXXV. uberius, neque id inficior, disputat, acute, grauiter, cap. XL. nam legatos alios, ut externos, excipi, alios, ut domesticos, demonstrat. tantum autem abest, ut neget, quod affert Plutarchus, Lautia fuisse sublata, ut idem doceat ipse. causam tantum rei expositae non admittit. Si tamen ideo abrogata sunt Lautia, quod in legatos obnoxiarum gentium prope domesticos conuenire non uidebantur, uiderit ille, ne Lautia legatis externis, quos ipse definit, nulloque Romanis iure coniunctis, et extra Orbem Romanum sitis, relinquenda sint, quae tamen abolita fuisse, largitur ipse. At Plutarchus ait. ὑπὸ πλῆθους τῶν ἀφικνουμένων πρέσβεων. iam πλῆθος in Gl. uulguis. multitudo. similiter atque Augustus, Romam legatos liberarum, sociarumque, gentium, quosdam etiam libertini, hoc est, seruili proximi, generis mitti, deprehendit, ut scriptum reliquit, in illius uita, Tranquillus, cap. XLIV. quare, uti uetitum erat, legatos, propter quorundam humilitatem generis, in Orchestra, loco publici honoris causa dato, amplius considerare, quemadmodum tradit idem, sic iisdem, eadem de causa, potuerunt adimi Lautia, praesertim cum,

in tanta legatorum turba, nullus esset sumtus, publice faciendi, modus. Ceteroquin, aetate Plutarchi, non ita obsoleuisse uidetur haec consuetudo, ut prorsus, et ubique, sit deinceps extincta. nam bonis damnatorum sic prouisum fuisse accepimus, ut ex iis legatis quoque munera, quae hic laxiori notione accipimus, compararentur. si quis enim damnatus digito haberet, aut sardonicha, aut aliam gemmam magni pretii, uel si quod chirographum magnae pecuniae in sinu haberet, nullo iure illud in particularia ratione tenebatur, sed ea pecunia solebat ad ea seruari, quae iure praesidium solebant erogari. inter alia, si qui fortiter fecerant milites, eis inde donabatur. *Barbaros etiam inde munerari, uenientes uel legationis, uel alterius rei causa*, moris erat. auctor est Ulpianus, qui et laudat rescriptum Hadriani, lege VI, II. de bonis damnatorum. hic *munerari* dictum uidetur ea notionis amplitudine, qua munera nonnunquam sumi diximus, ut ipsa Lautia comprehendantur. ac munera quidem legatis non omnibus fuisse adempta, uel unius Seueri Imperatoris exemplo cognitum est, quem legatis septuagenos uicenos aureos dedisse,

se,

se, eosdemque praemisisse, facta potestate, si qui uellent remanere, ac secum Romam redire, tradit Aelius Spartianus, cap. VI. pari modo legatos in Orchestra, Senatoribus decreta, considerare uetuit Augustus. postea tamen *sedisse in Senatu* legatos, atque *in his sedibus Senatorum* legatis *id honoris datum* fuisse, testantur Tranquillus, Claud. cap. XXV, et Tacitus, Annali XIII, cap. LIV.

XVII

Nec uero huius expertis humanitatis fuit Graecia, quae legatos amicorum, aut alios, honore publico dignos, accepit liberaliter, deductosque in Prytaneum, publico sumtu aluit, ac lautis conuiujs excepit. hoc est Aristophani *καλεῖν εἰς τὸ πρυτανεῖον*. Pollux dixit, in lib. VIII, cap. XI. *καὶ εἰς τὸ πρυτανεῖον ἐπὶ ξενία ἐκαλοῦντο*. imperite interpretes. *in Prytaneum ob causas peregrinas uocabantur*. reddi oportet. *atque in Prytaneum ad coenam hospitalem uocabantur*. numerantur ab eodem paullo post in honoribus, qui legatis haberi solerent, *δωρεαὶ, σιτήσεις, σιτηρέσιον, καὶ σύσσιτον εἶναι*. in antiquo etiam Smyrnaeorum, et Magnetum, foedere cauetur, ut ii, quorum hoc est, legatos
e Ma-

e Magnesia uenientes, inuitent ἐπὶ ξενισμὸν εἰς τὸ πρυτανεῖον, hoc est, *ad hospitales epulas in Prytaneum*. ita loquitur Marmor Oxoniense, pag. VII, et IIX. neque enim Prytaneum, et Prytanes, erant Athenis tantum, aut in solis Atticae opidis, sed etiam in aliis Graeciae, aut Graecis Asiae, aut aliis urbibus, ut perite docet, ad Athenaeum, lib. XV, cap. XIX, Is Casaubonus. non aliter de Rhodiis Polybius, qui Gentii, regis Illyriorum, legatos in Prytaneo magna comitate acceperunt. scienter Casaubonus, quem laudauimus, *in Prytaneo* interpretatur id, quod ἐπὶ τὴν κοινὴν ἐστίαν dixit ille. Eclog. legat. LXXXVII. sic enim πρυτανεῖον καὶ ἐστία τῆς πόλεως, Prytaneum et Vesta urbis, coniunguntur, ritusque uictus, e publico legatis dandi, exponitur, apud Iulium Pollucem, lib. IX, cap. V. exquisite tradit in hanc sententiam de Numo Smyrnaeorum, seu de Vesta, et Prytanibus Graecorum, Ezechiel Spanhemius, uir non lautiori uel dignitate, uel uita, quam scientia, sed pari incommodo reipublicae, et literis nuper ereptus, in cumulatae, et reconditae doctrinae Diatriba, quae, pluribus accessionibus aucta, extat in Thesauro Antiqu. Roman. Vol. V, pag. Iccxcv

XVIII

XVIII

Nec uero nobis est operae, id agere negotium, ut plurimum mores gentium persequamur, apud quas priscae illius humanitatis uestigia extant. nam et barbaros quosdam, uti dicuntur, populos huius liberalitatis, et comitatis, qua aduenae, praesertim legati, accepti sunt, laude non caruisse, aliunde cognitum est. alias omitto nationes. sed, quid de Germanorum ferocia, quam Romani uocabant hostes, exposuerit P. Mela, compertum est ex lib. III, cap. III. idem tamen hos *tantum hospitibus bonos* dixit. quod ante hunc uberius edisseruit C. Iulius Caesar, Germanos, qui, quaque de causa, ad eos uenerint, ab iniuria prohibere, sanctosque habere, *iis omnium domus patere, uictumque communicari*. hactenus ille, lib. VI de Bello Gall. cap. XXIII. nam *conuictibus, et hospitibus, non alia gens effusius indulget, quemcunque mortalium arcere tecto, nefas habetur, pro fortuna quisque apparatis epulis excipit*, ut loquitur C. Tacitus, moris Germanici interpretes, cap. XXI. in eandem sententiam Diodorus Siculus, lib. V. quod, nescio, quam barbarum sit, quam immane. at huiusmodi quidem esse scio, ut iis, qui accesserint, ne in Germania quidem Lautia, ut illa ferebant tempora,

H

de-

defuisse uideantur. Quodsi recentioris aevi exempla cum antiquis illis contendamus, tantum abest, ut comitatis huius publicae documenta noua, nostraque culta aetate, desideremus, ut, his aulas Imperatoris, Regum, Principumque, abundare, intelligamus. Lautia, quae Principibus uiris aduenientibus praebere soleat Respublica Veneta, laudat Marcellus Donatus. de Heluetiis, nominatim Tigurinis, ciuibus suis, multa, et mira, in hoc genere hospitalitatis commemorat, Io. Guil. Stuccius, non doctus magis, quam hilaris, uti uidetur, conuiuia, Antiqu. Conuiuial. lib. I, cap. XXVII. ut parum absit, quin multos promissa haec Lautia in Heluetiam inuitent, praesertim illos, qui laute, et nullo sumtu, uiuere et coenare uelint, credantque, ad belli curam, non ad pacis hospitium, pertinere id, quod uulgo iactari solet. nihil numerum, nihil Heluetiorum. Nec uero alia, eademque illustriora, desunt exempla. uidit in his nuper ille, qui ex barbarorum finibus Vindobonam missus erat, quam comiter, in aula Augusta, uel ipsis barbaris loca, lautia praebentur. Solent tamen Lautia non pari apud omnes modo praebere. nec uero semper apud eodem mos hic sibi constat. in Britannia quidem

ex-

externarum legati gentium triduo, ut perhibent, laute confuerunt haberi. haec tamen Lautia nuper Regina, omnis memoriae clarissima, uti publicis literis nunciatum est, sic praebuisse fertur Oratori Veneto Grimano, ut ei, pro honore hoc, more maiorum habendo, *pro* pondo publice dari iuberet. quid tamen in singulis fiat aulis, nihil attinet exquiri. intelligi certe potest, Lautia, quae tanto studio dare soliti sint ueteres, a nostrorum consuetudine temporum non abesse

XIX

Antiquitus autem offensione, odioque publico fiebat, ne Lautia decernerentur, ne iis quidem, quibus, alioquin amicis, hic honos alias habitus fuisset. quod usu uenit Rhodiorum legatis, uicto Perseo, cuius rebus illi studuisse uidebantur. nam consulti ab Marco Iunio consule Patres, stantibus in Comitio legatis, *an locum, lautia, Senatūque darent*, nullum hospitale ius in iis seruandum censuerunt. auctor, atque interpret, est T. Liuius, lib. XLV, cap. XX. liquet hic, Lautia pertinere ad ius hospitale. quare iidem legatis, cap. XXII, sumta ueste fordida, suppliciter questi sunt, antea sese *ex publico hospitio*, ubi et locum, et Lautia acceperant, in curiam gratulatum uenisse, nunc *ex for-*

dido diuersorio, uix mercede receptos, quod neque aedes liberae, neque Lautia erant decreta, ac prope hostium more, extra Urbem manere iustos, hoc squalore in curiam Romanam uenire

XX

Quare, ut rei, ex antiquitatis memoria aliquo certe studio inuestigatae, potior summa fiat, Lautia sunt genus liberalitatis, atque honoris publici, antiquitus institutum, solemnique consuetudine, aliquando tabulis publicis, firmatum, quo praecipue amici, et socii, horumque legati, in Vrbe, interdum etiam gentium minus pacatarum legati extra Urbem, sic a Romanis, praesertim libera adhuc republica, excipi solebant, ut, adito, quo adliceret, rite magistratu, iis, ex formula publica, com meatus, et quaeuis necessaria supellex, aut interdum pro illis rebus sumtus forte, de publico, per quaestorem, pro cuiusque loco atque estimatione, praeberetur, ortum ex studio hospitalitatis, et munificentiae, et iussu consulis, aut praetoris demandatum, uel ad animos beneficiis tam conciliandos, quam in beneuolentia fideque confirmandos, uel ad benignitatem humanitatemque prolixae, ac magnifice, declarandam

pag. XXIII leg. Polystrato, Meniscoque Milesio

Antiqu. Graec. 270.





